

rigore justitiæ non videtur alter teneri ad aliam inductionem, juxta generalem etiam doctrinam supra tactam de præbente scandalum, vel inducente ad malum.

16. Aliud nocumentum de cessatione lucri non censetur esse propria injuria religionis, et ideo ex illa non nascitur obligatio ad restitutionem. Antecedens declaratur et probatur, quia religiosus non tenetur ex justitia lucrari aliquid religioni, sed solum obligari potest ex charitate vel obedientia; quamvis enim dicatur esse sub dominio religionis, non tamen eo modo quo servus. Nam servus est ad utilitatem domini, sicut equus, et ideo ex justitia tenetur esse utilis domino in temporalibus commodis, ac proinde qui servum inducit ad fugam, tenetur domino restituere lucrum cessans, leg. 1, ff. de Servo corrupto, et leg. *Qui servo*, ff. de Furiis, et sumitur ex cap. *Si servus*, 54 d. Religiosus autem non est propter utilitatem, præsertim temporalem, monasterii, et ideo non tenetur ex justitia ad lucrandum illi; ergo nec monasterium habet jus justitiæ ad talia lucra, nisi supposita voluntate et operibus ipsius religiosi. Nam si lucratur, religioni lucratur; si tamen lucrari nolit, non facit injuriam religioni contra justitiam commutativam; ergo qui illum inducit ad non lucrandum, ex hoc capite non peccat contra justitiam commutativam, nec tenetur restituere, sicut qui inducit testatorem sine vi aut fraude, ut legatum vel hæreditatem non relinquat Petro, non peccat contra justitiam, nec tenetur restituere, solum quia alter non tenebatur ex justitia dare, et consequenter Petrus non habebat jus justitiæ ad talem rem; ergo ita est in præsentem; nam qui inducit alterum ad apostasiam, mediate inducit eum ut nolit lucrari monasterio, et hoc secundum non est injustitia; ergo ex illa inductione, ut cadit in hanc partem, non oritur obligatio restituendi. Et confirmatur, nam ipsemet religiosus apostata non tenetur ex justitia restituere monasterio emolumenta quibus caruit propter absentiam ejus; ergo neque inductor tenebitur, quia solum redundare posset in hunc obligatio ex læsione alterius. Dicunt aliqui religiosum etiam per se teneri, sed excusari, quia non potest, et ideo redundare obligationem in alium. Sed certe illud prius nec fundari potest, nec verisimile est, alias religiosus doctus, qui nolle, verbi gratia, legere Cathedrali, ex qua monasterio provenirent copiosi redditus, teneretur per se de justitia commutativa ad restituendos illos, ita ut, si

fiat Episcopus, vel alia quacumque via possit restituere, obligetur id facere, quod incredibile est et inusitatum, et præter intentionem primariam status religiosi, qui non ordinatur ad emolumentum temporale, sicut status servi.

17. *Objectio bimembris contra probata in numero præcedenti.*—Sed objicitur contra hanc assertionis partem; nam interdum oritur obligatio restituendi carentiam lucri dependentis ex voluntate alterius sine debito justitiæ; ut qui detinet pauperem ne petat eleemosynam, tenetur illam restituere, quamvis eleemosyna non deberetur ex justitia, sed liberaliter esset conferenda. Item, quia alias etiamsi quis extraheret religiosum a religione per vim vel fraudem, non teneretur ea lucra religioni reddere, quia etiam tunc religio non habebat jus justitiæ ad illa. Ad priorem partem respondetur, non esse similem rationem, quia pauper habet proprium jus ad actum petendi eleemosynam, quo actu injuste privatur per violentam detentionem aut deceptionem; ille autem actus tanti æstimabilis est, quantum est commodum quod cum morali certitudine ex illo reportari solet, et ideo tunc non obstat quod lucrum pendeat ex voluntate alterius, quia de voluntate illa moraliter constat; si autem contingeret mutari voluntatem eorum qui daturi sunt eleemosynam, et hæc etiam mutatio certo cognita esset, cessaret etiam obligatio restituendi illud emolumentum. Ita est autem in præsentem, nam mutatur voluntas ipsius religiosi, sine qua non habet monasterium jus justitiæ ad illud lucrum, et ideo cessat obligatio restituendi illud. Et hinc patet responsio ad alteram partem; nam est etiam ratio dissimilis, quia quando religioso inferitur vis vel fraus, tunc non deest ejus voluntas ad obsequia et lucra religionis, et ideo injuria, quæ fit religioni, privando eam tali persona, æstimatur etiam secundum lucra et emolumenta, quæ ex tali persona illi provenirent, quia ille nunquam censetur mutasse voluntatem, quia vis et fraus tollit voluntarium; quando autem religiosus solum inducitur, ipse mutat voluntatem suam, et per illam desinit esse utilis religioni, quoad illa lucra temporalia; ideoque carentia talis personæ jam non æstimatur per respectum ad illa lucra, quia ipsamet persona non habet voluntatem acquirendi illa, et aliunde, non habere illam voluntatem, non est simpliciter contra justitiam respectu religionis, ut declaratum est.

18. Dices: ergo, etiamsi religiosus extraha-

tur per vim factam religioni, et non religioso, non sequeretur obligatio ad restituendum, quod videtur contra dicta in præcedenti assertionem, num. 8. Explicatur sequela. Si religiosus habeat voluntatem fugiendi, et religio ei resistat, eumque diligenter custodiat, tunc potest tertia persona, inferendo vim religioni, et non religioso, illum eripere. Probat ergo tunc sequela, quia ille religiosus non habet voluntatem lucrandi tunc aliquid religioni; ergo damnum illatum religioni, privando illam per vim tali persona, non est æstimandum ex quantitate lucri quo privatur religio, quia illud lucrum futurum erat voluntarium, et voluntas deest. Sicut si illa persona esset impotens ad lucrandum, nulla æstimatio ex lucro fieret; perinde autem reputatur esse nolentem ac esse impotentem. Respondeo, consequenter loquendo argumentum convincere, et ita concedendam esse sequelam; nec consequens est contra dicta, quia locuti sumus de deceptione ipsius religiosi, et similiter de vi ipsi illata, vel per absolutam coactionem, vel saltem per gravem metum, qui suo modo impedit voluntarium.

19. Sed adhuc superest scrupulus, quia obligatio restituendi principaliter oritur ex damno re ipsa illato, vel lucro cum effectu impedito per actionem injuriosam. At vero in præsentem casu, si religiosus maneret in monasterio, moraliter loquendo, vel amore religionis, vel timore poenæ, cum effectu lucraretur religioni tantam quantitatem, vel operas tantæ æstimationis in ejus obsequium vel utilitatem impenderet; ergo, qui infert religioni dictam vim, re ipsa privat illam tali emolumento per actionem injuriosam; ergo re ipsa tenetur illud restituere. Et ideo etiam non videtur satisfacere prior responsio, de mutatione voluntatis, tum quia indecens est causa illius mutationis; non sine injuria religionis, nam ipsa inductio injuriosa est illi; tum etiam quia hæc æstimatio non debet fieri tantum secundum præsentem voluntatem ipsius religiosi, sed multo magis secundum effectum, qui in re futurus esset, si vis illa vel injuria non fieret religioni. Confirmatur exemplo, nam si quis de manibus judicis eriperet reum vel debitorem desiderantem fugere, teneretur ex justitia satisfacere, vel judici, lucrum quod revera esset recuperaturus, si ob eam causam illud amittit.

20. Respondeo rationem factam esse valde probabilem, et reddere rem dubiam ac consideratione dignam. Nihilominus respondeo re-

XVI.

stitutionem non semper esse faciendam secundum effectum in futuro præsumptum, seu qui creditur futurus, si talis actio vel mutatio non fieret, nisi in præsentem habeat quis jus justitiæ ad illum effectum, et ad causas a quibus pendet, quatenus cadunt sub humanam potestatem, alioquin effectus est mere contingens, et extra dominium alterius, et ideo carentia illius non censetur damnum ab altere illatum, quod restituendum sit; ut, verbi gratia, si Petrus per injustitiam cogatur esse absens a domo, vel civitate sua, et ea occasione contingat non eligi ad officium, vel non consequi aliud commodum, pendens omnino ex voluntate alterius, non tenetur qui vim intulit totam hanc carentiam lucri restituere, quia est res valde extrinseca; ita ergo est in præsentem. Neque est simile de iudice, quia ille habet proprium jus justitiæ ad poenam media condemnatione, quæ jam erat in potestate ejus voluntate ejus. Et simile est de creditore; nam habet jus justitiæ ad rem sibi debitam, quod ostendimus non ita esse in religione respectu lucri, vel operis quo comparandum est. Esset autem exemplum magis simile, si aliquis esset debitor non ex justitia, sed ex aliquo voto, et ab alio persuaderetur ne impleret votum; nam licet graviter peccaret inductor, non tamen teneretur ad restitutionem, quia debitum non erat ex justitia. Idemque esset si per vim illatam tali creditori pararetur via alteri habenti votum ad fugiendum, et non solvendum. Est item simile si quis religiosum, in monasterio manentem, induceret ut non obediat Prælati præcipienti ut legat, vel aliud simile faciat, unde monasterio lucrum reportaret; nam, licet moraliter constet cum effectu ita fuisse futurum, si ipse non induceret, non tenebitur ad restitutionem. Idemque erit si per vim vel metum cogat Prælatum, ne vim inferat subdito nolenti legere aut laborare. Non potest tamen negari quin ratione hujus violentiæ teneatur ad aliquam satisfactionem arbitrio boni viri, ut dicit Soto; non tamen ad cessationem lucri, si aliud damnum in propriis bonis non intercessit, hoc enim semper restituendum est.

*Consecutaria ex hæcenus dictis.*

21. *Primum consecutarium negans obligationem restituendi in impediendo ingressum sine vi et fraude.*—Imo negans esse peccatum mortale contra religionem defraudatam.— Ex dictis sequitur a fortiori, quid dicendum sit de illo, qui impedit alterum ne in religionem

20



